VIRO

Amplissimo, Spectatissimo & Prudentissimo

DN. LAURENTIO Timmen/

Inclutæ Reipubl. Stetinensis

Camerario meritissimo;

Qvi

Natus anno 1573; denatus 1634. 8. Octob. ætatis suæ sexagesimô primô, hodie, nim. 14. Octobris, solitis cæremonijs hîc in templo Jacobæô communi omnium matri Terræ restituetur;

Exeqvias

Ut singuli & universi Studiosi juvenes in Illustri hoc Pædagogio, horâ 3. pom. eant,

Hortator sum Ego

M. MARTINUS LEUSCHNER Ibid. Rector.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.

Apocalyp. 21. cap. v. 13.

Et dedit mare mortuos, qvi in eô erant: & mors & infernus dederunt eos, qvi in ipsis erant, mortuos; & judicatum est de singulis, secundum opera ipsorum.

INter alia mala plurima, qvibus funeſtum hoc & turbulentum ſeculum, juſtiſſimâ Dei irâ, obnoxium eſt, non ultimò loco ponendum putamus & hoc, qvòd tot viri præſtantes & de Rep. Chriſtianâ egregiè meriti, hoc inprimis tempore, qvô uſus eorum eſſe poſſet maximus, improvisò mortis ſpiculò confoſſi, relictâ officij ſui ſtatione, ex hac vitâ, non ſine ingenti multorum cordoliô, ſuſpirioſisq; ſaluti publicæ conſultum cupientium gemitibus, diſcedunt. Non enim exiguam facit jacturam Reſp. aut leve accipit vulnus, qvando, coortis calamitatum publicarum procellis, hac è vitâ illi abripiuntur, qvorum eximiâ prudentiâ, fide & induſtriâ res ancipitis conſilij & periculorum plenæ explicari, urgentiq; malorum tempeſtati remedium jnveniri & oſtendi poſſet. Qvod cùm illi, qvi, ceu prudentes naucleri, ad clavum Reip. Conſtituti ſunt, ac, ne invaleſcens tempeſtas naviculam commiſſam ſubvertat, vigilantia & induſtriâ ſuâ præcavent, probè intelligant, nunqvam vehementius anguntur ac dolent, qvàm ſi viros ſolidâ prudentiâ, conſiliô varioq; rerum uſu paſſim celebres, qvi diurnis nocturnisq; curis ac ſolicitudinibus patriæ hactenus laboranti ſuccurrerant, &, ne qvid detrimenti ſalus caperet publica, operam dederant ſedulam, inopinatâ morte corripi & exſtingvi audiunt cernuntq;. Qvod cùm ita ſit, qvid nobis in hac noſtrâ civitate, ut aliena miſſa faciamus, cogitandum faciendumq; erit, qvi totiens, pallis lugubribus reſumptis, vix depoſitum luctus ſqvalorem repetimus, ijsq; exeqvias ire jubemur, qvos

diutissimè superesse saluti publicæ maximè fuisset conducibile. Amisimus sanè unô alteróq; annô, non vulgaris æstimij viros, sed variâ doctrinâ, solidâ prudentiâ, multiplici rerum usu fideq; & integritate maximè conspicuos, qvibus, ceu prævalidis fulcris innixa Resp. fatales horum temporum turbas aut sustentura, aut superatura videbatur: amissimus Reverend. hujus loci Superintendentem, Pastores, Consules, Camerarios, Senatores, aliosq; Viros præcellentes: amissimus deniq; hisce diebus, virum amplissimum, spectatissimum & prudentissimum, *Dn. Laurentium Timmen*, inclutæ hujus Reip. Camerarium meritissimum, cui hodierno die solennia exeqviarum sacra sunt persolvenda. Non hæc de nihilo sunt, ac susq; deq; habenda; sed cogitandum illud, qvod propheta Esaias habet, cap. 57. v. 5. *Justus perit, & nemo reponit in animo: homines, inqvam, benigni recipiuntur, nemine advertente ante adventum mali recipi justum.* Nos, ut viri amplissimi & meritissimi ultimis honoribus ritè operemur, pro more solitô & consvetô, vitam ejus, qvam inter mortales honestissimam & laudatissimam exegit, brevi delineatione adumbrabimus.

Natum proinde Ipsum accepimus annô supra sesqvimillesimum tertiô & septuagesimô, *Stetini*, parentibus honestissimis Clarissimisq;. Ac patrem qvidem habuit, Virum præstantissimum, Doctissimũ ac prudentissimum, *Dn. Christianum Timmen*, Qvæstorem Ducalem integerrimum p. m.; matrem autem honestissimam ac pientissimam fœminam, *Margaretam* Sassen / Amplissimi Clarissimiq; *Dn. Nicolai Sassij*, p. m. Consulis qvondam hujus Reip. laudatissimi, & *Margaretæ* Glinekens / amplis-

plissimi itidem Dn. Consulis *Laurentij* Glinckens natæ, filiam dilectissimam; qvorum laudatissimorum parẽtum, ut & cæterorum majorum egregias virtutes, merita in Remp. officia dignissimo cuiq; præstita, nihil attinet in tanta pagellæ angustiâ prolixiùs attingere. Singulari Dei munere præstantissimos hosce sortitus parentes, providâ eorundem curâ, simulatq; vitalem auram haurire cœpisset, sacro Baptismatis fonte ablutus & mystico Christi corpori insertus fuit. Verùm vide sis, qvæso, adversatricem fati vim in primâ statim ætate! vix per biennij angustias illud matris superstitis carissimæ usuram indulsit. Adeò primum statim vitæ hujus gustum exacerbare consvevit. Qvid? matre orbatus paulò post patris etiam conspectu jucundissimô carere coactus fuit. Pater namq;, seu qvod terram, qvæ amantissimã abstulisset conjugem, non ferret, seu qvod soli natalitij desideriũ ipsum traheret, non ita multò pòst, abdicatâ Qvæsturâ Ducali, in Livoniam redijt, filio hoc suo bimulo fideli curæ & tutelæ Spectatissimæ Dn. aviæ relicto, qvæ summâ ipsum diligentiâ educavit, & à teneris statim ungviculis virtutis meliorisq; literaturæ cultui assvefaciendum curavit. Ac prima qvidem artium, Disciplinarum ac pietatis fundamenta in scholâ senatoriâ, & postea in Illustri Pædagogiô, μακαρίτης noster fideliter ac feliciter jecit. Hinc in Academiam Rostochianam ablegatus, parili curâ ac diligentiâ attextam studiorum telam pertexuit, studioq; juris inprimis summam curam & operam impendit. Biennio & semestri in celeberrimâ hac Academiâ exacto, ab avunculô suo, *Dn. Paulô Sassiô* p. m. domum revocatus, cùmq; Ipse rei familiaris curam, cùm ob cœlibatum, tùm ob ingravescentem senectutem, ampliùs sustinere non posset, præter voluntatẽ domi retentus, & Oeconomiæ

præfectus fuit. Annô porrò 1605, defunctô Dn. avunculô, cùm jam propriam instituisset familiam, ejusq; curam per biennium, non sine multiplici difficultatum & molestiarum affluxu sustinuisset, ut aliqvantâ curarum parte se sublevaret, annô post millesimum sexcentesimũ septimô, honestissimæ ac lectissimæ Virgini, *Barbaræ Braueriane,* matrimonij fidem addixit, eamq; seqventi annô, Ipsis Bacchanalijs, nuptiarum solennitate celebratâ, consummavit. Cum fidissimâ hac in thalamum omnis sortis ascita sociâ deinceps pacatissimum ac svavissimum matrimonium ad 27. usq; annum coluit, ex eoq;, divini numinis beneficiô, qvatuor suscepit liberos, ex qvibus, Deo sit laus, duo adhuc, filius & filia, supersunt.

Annô 1618. 1. Maji, consentientibus Senatus suffragijs Senator; 1622. judicij suburbani præses; 1623. 15. Octob. Provisor templi Johannitici; 1629. 22. Novemb. prætor Urbanus creatus fuit; qvæ officia omnia summâ fide, industriâ & vigilantiâ sustinuit. Qvare cùm per hosce officiorum gradus ad summa conscendisset, jamq; pateret omnibus, qvàm utilem hactenus & salutarem Reip. locavisset operam, annô 1633. 5. 7bris, magnâ amplissimi Senatus consensione, Camerarij Dignitas in ipsum collata fuit, qvam qvidem cum immortali nominis sui laude, ad extremum usq; vitæ Spiritum, prudentissimê sustinuit.

Vitam ipsius cæteram qvod attinet, ab ineunte ætate veræ pietati studuit, verbi divini auditum & sacramẽtorum usum non solùm ipse maximi fecit, sed liberos etiam totamq; familiam, idem ut facerent, exhortari nunqvam destitit. Proximum suum, qvibuscunq; officijs potuit, juvit, promovit, & pauperes ac egenos inprimis liberalitate suâ, qvoties data fuit occasio, recreavit. Qvamvis verò tam strenuus veræ pietatis & honestatis cultor esset:

set:

ſet: neqvaqvam tamen divinæ caſtigationis flagellum effugere potuit. Qvem enim Dominus diligit, caſtigat; Et per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnũ cœlorum. Præter varias itaq; morborum aliarumq; adverſitatum invaſiones, vix ante trimeſtre filiam natu maximam, qvam ſeræ ſenectutis ſolatium ac fulcrum ſperaverat, inſperatâ morte ſurreptam, ante ſe, turbato qvaſi mortalitatis ordine, efferri ingenti vidit cordoliô. Ex qvô qvidem caſu tantam luctus mœroriſq; molem ſibi contraxit, ut animum deinceps illâ exonerare haut potuerit. Qvare cùm ſeptimanâ abhinc ſextâ qvotidianis hiſce mœroribus aliarumq; curarum morſibus fatigato craſſius qvoddam ac nocentius catarrhi defluvium, læſis nervis, loqvendi facultatem pene omnem ademiſſet, ſubijt deinde perpetua piæ mortis meditatio, cùmq; nihil contra hoc malum ſummâ induſtriâ adhibita medicamẽta proficerent. Ipſe tandem, relictis hujus mundi vanitatibus, beatum ex hac vitâ diſceſſum ſerijs gemituum ſuſpirijs petijt, eundemq; felici vitæ clauſulâ obtinuit, anno hoc currente, 8. Octob. horâ 4. Pom. ætatis ſuæ ſexageſimo primo. Deus exanimi Ipſius corpori olim cum omnibus Electis lætiſſimam reſurrectionem largiatur, & acerbo hoc luctu merſos Spiritus ſui ſancti ſolatio reficiat, & dehinc ab omnibus ſimilibus caſibus intactos diutiſſimè conſervet.

Qvod ſupereſt omnes & ſingulos ſtudioſos juvenes exhortor, ut horâ 2da Pomerid. in auditorio majori conveniant, & ſignô dato, Præceptores in funus prodituros, decenti comitatu ſeqvantur. Prop. publ. 14. Octobris Anno 1634.

